# DE MEDICIS TOPOGRAPHIIS DISSERTATIO QUAM AD LAUREAM RITE...

Andrea Zermani

DE

# MEDICIS TOPOGRAPHIIS

# DISSERTATIO

QUAM

AD LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE PATAVINA

PROPONIT


ANDREAS ZERMANI

VERONENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVII.

ANTONIO . CISORIO

SACERDOTI . V . R .

SVAVITATE . MORVM . DOCTRINAE . LAVDE

PRVDENTIAE . FAMA

OMNIBVS . CARO

FAMILIAE . MEAE . STVDIOSISSIMO

DE . MEI . INSTITVTIONE

EGREGIE . MERITO

AVVNCVLO . PIENTISSIMO

HANC . IVVENTVTIS . MEAE . PRIMAM . LVCVBRATIONEM

GRATITVDINIS . ERGO

NEPOS

D . D . D .

Quicumque, Hippocratis sententia, optat summum praxis medicae pertingere fastigium, in primis necesse est ut varias anni constitutiones ventorum, methodumque vivendi eorum habitantium agnoscat apud quos medicinam facit. Omnia quae in natura extant, varium exercent influxum in hominem, qui prae aliis animalibus illius potentiam persentit, nam ipso momento quo incremento et prosperitati contribunnt, valent etiam ad functiones vitales perturbandas ex quarum ordine et integritate sanitas dependet. Haec sola ratio mihi videtur sufficere ad declarandam necessitatem, quae unumquemque medicum spectat, ut agnoscat topographiam illarum regionum in quibus suam artem exercet. Ne longius abeam, nonnulla mihi exponenda videntur, quae a quodam doctissimo viro hominum memoriae tradita fuere.

»Quando i ministri di Esculapio, ajebat ille, »ignari ancora dei più profondi misteri della na»tura, con appena un barlume dalle anatomiche »e fisiologiche nozioni, e guidati da una vana ed

» inatabile filosofia accostavansi al letto degli am-
» malati, soddisfar sapevano a tanta mancanza
» con l'accurata osservazione di tutti i fenomeni
» che accompagnano e conseguitano le malattie;
» con l'analogia e coi confronti delle loro mini-
» me differenze e con i lumi acquistati da una
» pratica, se forse di troppo empirica, scevra pe-
» rò dai prestigii dell'immaginazione. L'arte
» sfigmica non esisteva pur anche, ma l'occhio
» medico era più sagace, ed il linguaggio dei se-
» gni d'altronde desunti non era meno eloquen-
» te e meno vantaggioso. Di fatto fu in questa,
» che noi riputiamo infanzia, che la maggior par-
» te dei mali che affliggono l'umana specie furo-
» no descritti e dipinti quali sono in natura, la-
» sciando ai posteri più lontani i migliori mo-
» delli da imitare. Fu allora che nacque la vera
» ed utile dottrina delle reazioni organiche, os-
» sia delle forze medicatrici della natura che se-
» gna i confini tra la medicina attiva e la aspet-
» tativa, e che costituisce, secondo il mio modo
» di vedere, il fondamento della pratica. Smar-
» rita quella via, mi si perdoni la digressione, i
» medici superbi del loro sapere, spogliato aven-
» do la natura de' suoi trionfi per abbellirne se
» stessi, una gran parte delle odierne disquisi-
» zioni e controversie diedero più alimento alle
» cattedre ed alle opere di gabinetto, che non al
» letto degli ammalati. Una verità scoperta par-

» tori cento errori nella sua applicazione per la
» amania di generalizzare, e di dare un certo aspetto di novità anche a ciò che dagli antichi
» era stato se non filosoficamente spiegato, almen
» conosciuto e praticato; così ebbero vita i discordanti sistemi che non si concilieranno giammai se intorno a questo punto non converrà la
» medica schiera. Fu allora che que' diligenti osservatori tenendo conto dei fatti senza immaginare cause conosciute scopersero l'azione
» specifica di molte sostanze medicamentose sulle differenti parti del corpo, e riconobbero anche essi le locali affezioni degli organi, ed i
» mezzi onde combatterle. Fu allora che rivolto
» il pensiero all'esame, agli effetti sopra di noi
» degli agenti esterni, si gettarono le fondamenta allo studio delle condizioni epidemiche, della fisica e morale condizione dei paesi e dei popoli diversi ».

Eximium quidem atque magni ponderis est hoc studium, quo nec utilius, nec dignius culturibus Aesculapii inveniri potest. Nam non tantum de sanitate paucorum, sed de integris nationibus pertractat, non examen instituit de individualibus perturbationibus quae ad morbos sporadicos gignendos conferunt, sed de causis generalibus populorum vitam minantibus nobis difficillimum offert argumentum. Varios complectitur morbos, qui epidemice variis evolvun-

tur tempestatibus, qui endemice nonnullas vexant provincias, qui characterem, qui formas atque complicationes assumere possunt diversas. Hippocrates nobis tractatum reliquit de aere, aquis et locis, qui immortale ei nomen comparavit. In posterum Sydenham, Ramazzinius et nonnulli alii perdoctissimi viri summa cum utilitate ipsius vestigia secuti sunt. Et quamvis nostris temporibus scientiae physicae et naturales aeris aquarumque analyses, omniumque corporum indoles, nec non notiones variae de fluido electrico et de phaenomenis meteorologicis ad maximum culmen pervenerunt; nihilo secius opera illorum praestantissimorum virorum in hacce scientiae medicae parte maximum nobis lumen attulerunt.

Homo qui forsan ex natura sua ceteris animalibus debilior dici potest, et ex arte atque industria fortior, necessarie et continuo in conflictu vivit cum omnibus externis stimulis, ex quibus aut vitae, aut mortis elementa elicit. Qua de re vitae et salutis status, nunquam positivus est at semper aequalis, sed ex complexu variarum causarum et omnium stimulorum, qui ipsum modificare valent, originem ducit. Diversa vivendi ratio, variarum functionum exercitium, animi conditiones plus minusve concitatae, aer, aqua, lux, frigus et calor, omnia denique quae in natura extant, ad vitae modum subvertendum confluunt,

et unaquaeque mutatio in nonnullis istorum agentium (dummodo habitudo illorum vim non imminuerit) sufficit ad talem inducendam in sanitate mutationem, quae si limites simplicis praedispositionis excedat, proprietatibus vitalibus perturbatis, in morbum se se convertit. Hoc producere possunt siccitas, aut humiditas, aut subita ventorum mutatio, qui varias regiones diversasque paludes percurrentes, effluvia secum perniciosa trahunt. Quaedam Siciliae provincia febribus intermittentibus continuo laborans, tantum clausa ea montium circumstantium parte, unde venti palustribus effluviis inquinati efflabant, liberata fuit. Aqua plus minusve pura, plus minusve principiis salinis sive terreis foedata, vel substantiis animalibus ac vegetabilibus decompositis onerata, situs aut eminentiores, aut humiliores, illorum positio, ralatio cum aliis regionibus, qualitas ipsa tellurica, meteorae quae electricitatem atmosphaerae nec non animalem pervertunt, denique aer ipse, qui praeter qualitates barometricas, hygrometricas, praeter deleteria quaedam principia secum transferre potest; omnia haec varias inducere in intima organica mixtione mutationes possunt: mutationes quas nec eudiometrus, nec analysis aut definire, aut profecto demonstrare valent. At eo magis quo minus sunt notae, et quo aptiores ad morbum gignendum metuendae sunt: aer enim primum vi-

tas pabulum constituit, quo omnis viventia corpora indigent, ipsiusque persentiunt effectus, ita ut quoque noxias conditiones acquirere possint illa, quae nostro inserviunt alimento.

His omnibus ex causis vel manifestis, vel latentibus climata ita modificantur, ut ex solis qualitatibus thermometricis non dignoscantur; ipsa autem temperamenta individualia morbos et actiones remediorum variant. Tali pacto nos perspectum habemus in nonnullis regionibus morbos aliquos deesse, qui alibi grassantur. Sic e. g. aestiva tempestate a miliari Verona vexata est. In regione bergomensi habitantes strumа deturpantur. Plica-polonica in Polonia tantummodo evolvitor. Pestis nunquam ab Aegypto in Indias orientales propagatur, sed tantum partes occidentales percurrit. Febris flava omni tempore partes meridionales praediligit, atque in ipsis explicatur nec non exasperatur, et viatores omnes qui ex nostris plagis ad eas se se transferunt, facillime ab ipsa corripiuntur. Petroburgum intermittentibus caret, Scotia quartana; Scorbutus raro apud nos invenitur, in regionibus e contra fere similibus, et apparenter meliori conditione fruentibus facillime exoritur. Istiusmodi diversitatis ratio in supra expositis recensenda est. Sic juxta diversitatem atmosphaericae constitutionis tempestatumque, morborum etiam formae differunt: tali ratione fe-

bres intermittentes fere semper benignae et legitimae veris tempore sunt, aestivo complicantur, pertinaciores graviores que fiunt autumno, hieme illarum vis penitus confringitur. Ita scarlatina in Thuscia valde periculosa, nisi convalescentiae stadio diligentissime praeceptis aeger obtemperat; in Germania e contra contrarium omnino animadvertitur.

Has modificationes climatum, quas nemo definire valet, et quae a multis causis simul junctis originem ducunt, mirifico modo nostro in organismo influxum exercent, easque omni aetate medici inter pharmaca potentiora recensuerunt ad quasdam affectiones chronicas debellandas, quas omnibus aliis methodis rebelles pertinaciter ea se declararunt. Et re quidem vera saepa observatur mutationes climatis et transitum ex una in aliam regionem brevi tempore vim maximam ostendere in corporis salute, etiamsi regimen vitae aequale fuerit. Viribus physicis et moralibus concitatis, functionibus digestionis et nutritionis in pristinum statum reductis, sedato systematis nervei tumultu, radicitus extirpatis febribus accessionalibus pertinacioribus, cute ab eruptionibus expurgata, quae diu eam sedabant, ad pristinam sanitatem aegri omni spe dejecti, sumtus medicorum admiratione saepius sola atmosphaerica mutatione redacti fuere: et certe ab hac multi valetudinarii qui se ad celeberrimas

thermas transferunt, beneficium salutis repetere debent.

Hoc bene perpendendo rem difficillimam et magni momenti ad medici officium remedia adcommodare, ec deflectere juxta climatum diversitatem et individui constitutionem, quae certe modificatur sub diversa istorum stimulorum actione, semper existimavi. Cura aequalis et universalis in omni aegrotante ab eodem morbo deprehenso periculosa, irrationalis omnino esse debet. Exterus medicus qui in quadam regione absque studio et climatis analysi habitudinum hominumque temparamenti eamdem dosim remediorum et idem regimen praescribet, veluti in regionibus suis, quae ab alio climate e solo, ab aquis discriminatim dominantur, persaepe in prognosi magno cum aegrorum detrimento et sui ipsius dedecore deceptus est.

Nunc igitur ut argumentum persequar, vicissitudines atmosphaericae, effluvia palustria, miasmata, quae a putrefactione animalium substantiarum insurgunt, principia deleteria, et praeprimis hydrogenium carburetum, quod a paludibus evehitur, insalubritas alimentorum, contagium quod ab unione in loco angusto, aut ventis carente multorum individuorum sanitate gaudentium, aut aegrotantium evolvitur, sicut in carceribus, in navibus, in nosocomiis, et contagia diversa quae in exteris nationibus gliscunt,

hinc in multas alias transferri possunt, praecipuae et aptiores ad morbos populares gignendos causae sunt, qui aut variis tempestatibus, aut praeter ordinem, et sub peculiaribus circumstantiis exsurgere videntur. Et isti morbi quadam nota peculiari insigniti sunt, quas certe ad simplicem dynamicam perturbationem, aut actionis stimulantis abnormitatem referre non possumus.

Ab examine istarum causarum, ipsarumque effectuum deducitur, nonnullas earum eludere nostram sagacitatem et praevidentiam, potestatemque impediendi ne actionem propriam exerant: nonnullas autem a nobis agnosci corrigique posse, quae ab hygiene publica comprehenduntur. Ab hac distinctione in morbos epidemicos, endemicos et contagiosos oritur divisio. Primi originem directe ab alterationibus ignotae naturae, viciasitudinibus atmosphaericis, quarum limitem definire nemo potest, repetunt. Secundi alicujus regionis propter aerem inquinatum, insalubritatem alimentorum, aut propter alias causas ipsi loco insitas proprii sunt. Contagia sunt denique producta specifica nobis obscurae originis, quae in corpus humanum introducta eumdem morbum generare valent, ejusdem formae aliis propagandum.

Ex hoc patet differentia quae adest inter infectionem et contagium, quae neglecta, vel male

determinata a pluribus scriptoribus summae perturbationis in morborum doctrina semper causa fuit, et complurimas mactavit victimas. Omnes morbi febriles, sive endemici, sive epidemici, sive sporadici contagiosi fieri possunt, dummodo adynamia ad illum gradum perveniat, ut solida animalia atque fluida ad dissolutionem praedisponere valeat; et tales censendae sunt gangraenae nosocomiales, putridae dysenteriae, et forsan ipsa phthisis in ultimo sui stadii curriculo. Sed principium illius infectionis in omni fomite putrefactionis animalium substantiarum quod emoritur, cum ipsis reperitur. Vera contagia sunt producta specifica semperque identica, quae et aegro absente, et causa remota irrepere possunt atque diffundi nonnullis faventibus substantiis, quae ad ea retinenda aptae sunt. Nec dici potest effectum esse causarum communium ac generalium; sed potius veluti semina plantarum et ova insectorum, necesse est, ut speciales circumstantiae, loci temperaturae atque tempestatis, ad illorum specificam actionem expromendam concurrant. Aer ipse infectionis propagationi aptissimus esse potest propter effluvia atque miasmata deleteria in ipso suspensa. Epidemia igitur et contagium inter se vel maxime discrepant, et si res ita non essent, quid prodessent leges sanitarias, statuta publica, totque circumspectiones, quae omnia contagiis saevien-

tibus in praxi observamus? Hoc est solum medium, quod in hoc pergravi judicio de morbis extra ordinem insurgentibus nos ad finem optatum perducere potest; qui pedetentim incipientes, paulatim propagantur, indeque pertinaciter grassantur. Sententia ex qua honor pendet medici ad incolumitatem, aut excidium pronunciandum integrae nationis vocati.

Interim morbi endemici aut propelli, aut debellari possunt. Et revera nonnulli morbi populares, aut rarius nostris temporibus, aut minori intensitate recurrunt, quemadmodum nos experientia docet, et hoc pendere videtur ex variis circumstantiis, ex domibus videlicet aptius constructis, ex majori munditie et ventilatione nosocomiorum, carcerum atque navium, et ab usu illorum remediorum, quae ad aerem depurandum idonea comprobata fuere. Ab excisione nemorum, ab exsiccatione paludum germina infectionis morborumque recurrentium periere. Germania, Gallia, Anglia, Hollandia et maxima pars Americae id confirmant. Complures regiones quae continuo aestivo tempore ac autumnali febribus intermittentibus vexabantur, nunc propter praestantiorem soli conditionem omnino disparuere. Nonnullae palustres provinciae veronensis regiones, quae propter impurum inquinatumqua aerem continuo febribus intermittentibus affligebantur, in praesenti ex

industria et activitate jurisconsulti celeberrimi Grassoti ad culturam redactae, maleficum influxum amisere. Exemplum quoque habemus in Empedoclis saeculo, qui, teste Plutarcho, cursum aperiens aquis stagnantibus, vitam incolarum cujusdam siciliensis provinciae minantibus, tot aerumnis eam liberavit. Et denique videmus per leges ad publicam salutem statutas pluribus praeservari morbis: variola araba, quae a multis abhinc annis nostras regiones aggrediebatur, solo vaccinae opere valde fuit mitigata. Mirandum est, ait Pringle, quomodo pestis febresque pestilentialea (sub quo nomine forsan antiquiores morbi pestilentiales vocabantur) necnon dysenteriae in Europa saeculo decimo octavo imminutae fuerint. Titus Livius narrat viginti duabus vicibus Romam peste vexatam ac depopulatam fuisse ducentorum annorum curriculo. Felix Platerus testatur, septies septem annorum spatio eam observasse. Thomas Barlinius mentionem facit, pluries in Danimarca pestem esse evolutam, praesertim annis 1616, 1654, in quibus complurimas mactavit victimas. Et regiones nostrae nonne fuerunt saepe saepius depopulatae priusquam medicina publica per debitas leges morborum impetum impediret? Una vice tantum, his legibus fractis, an. 1804 febris flava irrumpebat, multasque afferebat caedes.

Sed constitutiones epidemicae, quae originem

traliunt e multiformibus vitiis atmosphaerae, influxu climatis et vicissitudinibus tempestatum, etiamsi facultas nobis data non sit eas praevenire, circumscribere atque repellere, tamen maximam requirunt attentionem et studium, ut illarum cognitio faciliorem faciat curam. Nam causae illae, ut supra retulimus, in mixtu organico occultas progignunt alterationes, quae sensilitatem pervertantes, extranei fiunt etiam stimuli naturales, ex quibus oritur functionum turbatio et morbi, quos secum afferunt, formam specialem, ingenium protaiforme ac semper versatile producunt. Et revera nunc videmus adfectum systema sanguineum, nunc nervosum, nunc gastricum, et nunc mucosum, et exinde vel febrea inflammatoriae, vel ataxicae, vel biliosae, vel catarrhales evolvuntur sub forma epidemica, et ipso tempore magnam hominum quantitatem et integras nationes aggrediuntur cum maximis complicationibus, quae diagnosim difficilem, curam incertam saepius reddunt. Et quoniam causae istae juxta varias tempestates diversasque regiones differunt, sic quoque indoles morborum modificatur, et ipsa remedia, quae olim in quadam regione maximum adjumentum attulerunt, temporis progressu nullum praebuere levamen. Inde consequitur fallacia systematum medicorum, pariterque pro diagnosi et cura istorum morborum summa observationis et expe-

rientiae utilitas de illis omnibus quae juvant, vel nocere possunt.

Ast hic observatione dignum mihi videtur nonnullas causas generales aut partiales morborum endemicorum ac pandemicorum jam descriptas, aliquando effectus constantes producere, dummodo ipsae solae vel absque complicatione agant. Effluvia e. g. palustria semper febres intermittentes gignunt; pari modo miasmata a decompositione animali prodeuntia febribus ataxicis ac adynamicis originem praebent. Sub ingenti barometri depressione, apoplexiae fulminantes, illos, in quibus dispositio adest, facilius necant, quam in aliis temporis periodis, et hoc ex perturbata sanguinis circulatione, ex rarefactione aeris dependet. Appropinquantibus et evanescentibus meteoris, extremo langoure corripiuntur illi, qui ad convulsiones sunt proclives, et qui majori pollent systematis nervei mobilitate. Ex transitu repentino, corpore aestuante, ad aerem frigidum evolvuntur rheumatismi, pneumonitides et alii morbi inflammatorii. Tandem sub caloris immodici actione hepar plusquam alia viscera illius morbosum influxum persentit, et bilis quae abundanter ab ipso secernitur, indolis fere veneficae, turbas quam maximas in tubum gastro-entericum infert, nec non febres quae eas comitantur.

Hisce principiis atque assiduis observationi-

bus celebriores medici antiquitatis suffulti, rectum protulerunt judicium de morbis epidemicis. Stholl in Germania, Sydenham in Anglia constitutionem epidemicam regnantem semper aequalem per multos extitisse annos deprehenderunt. E contra Ramazzinius brevi anni spatio transitum ex una ad aliam constitutionem omnino oppositam detexit. Veritas haec ab auctoritate summorum virorum nostris temporibus suffulciri potest, qui adcurate choleram intuentes observarunt, hunc morbum mutari juxta varias regiones in quas percurrebat. Vidimus ipsum in varias irrepere regiones, pluresque homines adflictare, ibi pertinaciter permanendo; alibi benignum se offerre, et locum cito relinquere; in nonnullis simplicem esse; in aliis complicationibus permultis stipari, ex quo deduci potest morbos contagiosos et epidemicos non tantum ex eorum natura modificari, sed praecipue juxta varias aeris vicissitudines, solum, aquas, elevationes, vivendi methodum differre.

Ab istis quae nos diximus, clare dignoscitur, quantae sit utilitatis topographiarum studium in regionibus illis ubi artem nostram exercere cogimur. Difficile autem est, sed neminem terreat difficultas et incertitudo, quoniam summum gratumque praemium erit expectandum.

## THESES DEFENDENDAE.

I.

Medicus omni vi animum intendere debet ad topographiam perbene agnoscendam.

II.

Febres intermittentes non sunt illico chinina tractandae.

III.

Aegris febre perniciosa laborantibus chinina praebeatur.

IV.

Ad contagia accipienda causa maxime disponens moeror

V.

Mercurius omeopathice in syphilide vim suam exerit.

VI.

Turpis est inter medicos inimicitia.

VII.

Dissensiones medicorum luctuosae fiunt, et famam illorum graviter detarpant.

VIII.

Quod in primo alicujus morbi stadio juvat, in secundo nocere potest.

IX.

Icterus plerumque ab inflammatione hepatis pendet.

X.

Sterilitas cum impotentia haud confundenda.